IN DEI FILIO SIBI DILECTIS PATRIBUS, FRATRIBUS, AC SORORIBUS ORDINIS FF. PRÆDICATORUM

FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR, EJUSDEMQUE UNIVERSI ORDINIS HUMILIS MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS

Salutem, & Sanctorum cultum.

CUM proximis Comitiis Patres curam Nobis multarum rerum detuliſſent, quæ perfici Comitiorum brevi tempore non poterant: res ipſa poſcebat, ut ab iis ordiremur, quæ ad Dei Optimi Maximi cultum referrentur, atque ad Ordinem univerſum pertinerent. Itaque a SSmo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo, noſtro totiuſque Ordinis nomine ſummiſſe rogavimus, ut pro ſingulari ſua, multiſque jam rebus perſpecta in Familiam noſtram benevolentia, eidem Ordini Officium proprium pro feſto SSmi Roſarii concedere; feſtorum autem SS. Doctorum Auguſtini, ac Thomæ Aquinatis celebritatem ſolemnium octavarum adjectione augere vellet. Qua in re, ut in aliis ſæpe, egregia planeque propenſa uſi ſumus voluntate Optimi, Sapientiſſimique Pontificis, qui omnes perpetuo occaſiones de Familia noſtra benemerendi paterna ſollicitudine, indulgentiaque complectitur: cumque omnia Nobis, quæ rogaveramus, ſumma liberalitate ac facilitate conceſſerit, ſuperiora, atque illuſtria Ordinis ornamenta ab ſe ante profecta novis adeo beneficiis cumulavit.

Etenim ad Roſarium quod attinet, jam tum quidem, quum graviſſimum Promotoris Fidei munus ſuſtineret, operam ſuam contulerat, ut lectiones in ejuſdem SSmi Roſarii feſto, toto orbe Catholico quotannis recitandæ, Eccleſiæ judicio probarentur: ac deinceps, quum Bononienſem Archiepiſcopatum gereret, & in celeberrimo ſuo illo de Beatificatione, & Canonizatione opere, & in Adnotationibus ad Chriſti Domini, Virginiſque Deiparæ dies feſtos, erudite copioſeque demonſtraverat, peculiarem hunc Beatiſſimæ Virginis colendæ ritum, qui Roſarii nomine appellatus eſt, a Sanctiſſimo Patriarcha noſtro Dominico fuiſſe primum in Eccleſiam invectum. Quamobrem facile etiam deinde opportuniſſimum illud beneficium in Ordinem

rii constituendarum jura jampridem ab Apostolica Sede ipsi Ordini attributa, amplissimo edito decreto confirmavit: quod quidem decretum in Actis superioris Capituli Generalis Bononiensis, inque primo Annalium nostrorum volumine descriptum, atque vulgatum est.

Sancti etiam Thomæ Aquinatis Præceptoris nostri laudes ut perpetuo non prædicarit modo, sed etiam insigniter auxerit, atque amplificarit, tam perspectum vobis, tamque orbi universo testatum est, ut hujus jucundissimæ rei recordatio non confirmandæ memoriæ quidem, sed voluptatis, plaususque renovandi caussa usurpanda videatur. Nam quum Angelici Præceptoris doctrinam jampridem animo combibisset, eamque in libris, quos variis de rebus complures edidit, præ se tulisset: tum vero Summum Ecclesiæ universæ Pontificatum adeptus, quanta apud se S. Thomæ doctrinæ existimatio esset, quamque eam Ecclesiæ utilem judicaret, quantoque opere colendam, & propagandam putaret, & alias sæpe, & in iis maxime litteris luculenter ostendit, quas pro Dionysiano Granatensi Collegio anno MDCCLII. XII. Kal. Septembres dedit; in Allocutione autem, quam proximis Ordinis Comitiis præsidens habuit, multo etiam luculentissime, ut nihil honorificentius excogitari posset. Quæ summæ ejus scilicet in S. Thomam pietatis, & in nos charitatis monumenta non solum fama perferente continuo cognovistis; quum lætissima Ordinis gratulatione efferrentur; sed legistis etiam deinde vos ipsi in proximorum eorumdem Comitiorum Actis commendata memoriæ sempiternæ. His vero rebus quanta S. Thomæ laudum accessio sit facta, ex Pontificia dignitate nimirum, atque ex tanti Pontificis, tantaque theologicarum rerum scientia præstantis auctoritate, & sapientia æstimari debet.

Sapientissimo autem Pontifici cum multæ erant caussæ, quamobrem Angelicum Doctorem tanta pietate, existimationeque prosequeretur; tum illa erat certe, quod eum S. Augustini doctrinam summis semper Maximorum Pontificum, & Conciliorum, totiusque Ecclesiæ prædicationibus celebratam, & penitus cognitam, perspectamque habuisse, & fideliter tenuisse, sustinuisse, defendisse, norat. Ac constans hæc S. Thomæ cum S. Augustino consensio ut illustris propter superiorum Pontificum testimonia, ita illi usu, experimentoque explorata erat; ejusque animum movit, ut justum Ordinis desiderium augendi utriusque simul Præceptoris cultus gratum haberet, solemniumque octavarum concessione liberaliter, libentissimeque comprobaret.

Jam vero quum decreta S. Auguſtini ſolemni octava, lectiones parari oporteret recitandas in Matutinis precibus diei Dominicæ infra eamdem octavam incidentis: certis de cauſſis eas, quæ diei octavæ in Breviariis erant adſcriptæ, in ipſam diem Dominicam commode transferri poſſe cenſuimus; novis, quas perſcribendas curavimus, diei octavæ attributis. Sed has quum Sacræ Rituum Congregationis decreto, conſenſuque Pontificis Maximi brevi probatum iri putaremus, ob eamque cauſſam hujus ad vos epiſtolæ mittendæ tempus aliquamdiu diſtuliſſemus; ii interea caſus inciderunt, ut nondum quidem commoditas ejuſmodi decreti impetrandi fuerit. Quod etſi Nos propediem confidimus impetraturos; tamen ne hujus decreti expectatio reliquarum rerum nuncio moram longiorem afferat, maturandum exiſtimavimus, ut vos de octavis ſolemnibus conſtitutis certiores faceremus, de quibus decretum nunc vobis mittimus ab eadem Sacra Congregatione latum; & Officium SSmi Roſarii proprium, quod jam inde ab anno ſuperiore juſſu noſtro vulgatum eſt, ad univerſum Ordinem mitteremus; ac rubricam denique vobiſcum communicaremus in celebratione octavæ S. Thomæ ſervandam, ad Quadrageſimæ tempus accommodatam; quam ad calcem hujus ipſius epiſtolæ noſtræ deſcriptam vobis ante oculos proponimus. Lectiones autem de S. Auguſtino novas, quas diximus, utprimum probatæ fuerint, typis item accurate edendas curabimus, & ad vos opportune perferendas.

Veſtræ nunc partes ſunt, Dilectiſſimi, egregiæ Pontificis Maximi voluntati, Ordiniſque inſtitutis pietate veſtra, ſtudio, diligentia, omni denique officio ſatisfacere. Intelligitis enim, novam hanc feſtorum SSmi Roſarii, Sanctorumque Doctorum Auguſtini, ac Thomæ celebritatem ab Ordine optatam, ac quæſitam, & ab Optimo Pontifice poſt multas ſtudii, ac judicii ſui ſignificationes conſtitutam admonere vehementer vos officii veſtri, non ſolum ut ad eoſdem dies feſtos colendos, perſolvendaſque Deo laudes multo alacriores animos, quamque maximam poteritis religionis contentionem afferatis; ſed etiam ut in ejuſdem Roſarii cultu, Sanctorumque Magiſtrorum noſtrorum doctrina & retinendis, & majorem in modum propagandis omnem operam veſtram aſſidue, fideliterque adhibeatis. Fiet enim hoc modo, ut hæc Ordinis, Eccleſiæque ornamenta, ac præſidia, ex quibus in Catholicorum Rempublicam maximæ ſemper manarunt utilitates, a majoribus noſtris ad nos ſumma cum laude tranſmiſſa, per nos non conſerventur modo, ſed etiam amplificentur. Pro ipſius autem amantiſſimi noſtrum Pon-

tificis diuturna incolumitate, & ſalute, qui pluribus in omni ferme genere beneficiis Familiam ſibi noſtram obſtrinxit, multiſque rebus ſive quæ ad ſtatum Ordinis tuendum, ac conſervandum, ſive quæ ad decus, laudemque illuſtrandam pertinerent, liberaliſſime ornavit, nullum facere debetis precandi finem; cujus quidem noviſſima hæc beneficia ſolemnis ipſa eorumdem feſtorum celebratio quotannis in omnium veſtrum memoriam revocabit. Quod etſi pietatis, gratique animi, neque minus domeſticæ noſtræ, quam communis totius Chriſtianæ Reipublicæ utilitatis cauſſa vos ſponte facere oportet; confidimus tamen, monitu, hortatuque vehementi noſtro libentius etiam facturos. Valete, Dilectiſſimi; ac Nos, Socioſque noſtros Sacrificiis, & precationibus veſtris commendatos habete.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die XXVIII. Januarii Ann. MDCCLVII.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors

Magiſter Ordinis.

Reg.

Fr.

INFRA OCTAVAM S. THOMÆ PERPETUO SERVETUR SEQUENS RUBRICA.

Quotieſcumque de octava agitur, in Matutinis duæ primæ lectiones erunt de Homilia feriæ, & tertia erit de octava; Miſſa vero Conventualis dicetur de feria. In Dominica infra octavam ſolum fiet memoria S. Thomæ, itaut officium Dominicæ incipiat in Sabbato præcedenti a Capitulo, & tunc dicitur officium quotidianum B. Virginis ad Veſperas, & Completorium, & dicentur Preces. Si feria quarta Cinerum evenerit infra octavam, de ea (*feria nimirum*) fiet officium uſque ad Nonam, & memoria S. Thomæ, cum officio quotidiano B. Virginis in Matutinis, & terminatur in Nona. Quando in feria ſecunda celebratur dies octava, in primis Veſperis pſalmi, & antiphonæ erunt de Dominica, & officium incipiet a Capitulo: Si autem occurrat in Sabbato, ſecundæ Veſperæ erunt de octava cum memoria Dominicæ, & non dicetur officium quotidianum B. Virginis. Quotidie infra octavam in Completorio dicatur ℟. *In pace &c.* quando regulariter dicitur.